

(omnī cum Capitulo suo, ut explicat Glossa in *ibid.*) possit constituere, ut proventus Beneficialia ad tempus retineantur pro causa iusta & necessaria, v. g. pro reparatione Ecclesiæ ruinosa: inde tamen nullatenus sequitur, quod possit Beneficiis imponere pensiones ad Succesorem transmissibiles: ista quippe sunt valde diversa, neque ex diversis fit illatio. Barboza *Axiomat.* 114.

97 Neque urget ultima ratio. Quia ex divisione, aut dismembratione Beneficiorum, non sequitur horum sectio, sive scissio: talis videlicet, per quam proventus unius Beneficii dividuntur in duos. Nam per divisionem eriguntur duo Beneficia, unā cum propriis redditibus; & per dismembrationem redditus ab uno beneficio in perpetuum separantur, atque annexuntur alteri; idque contingit non ad privatum interesse alicujus Clerici (puta, Pensionarii) sed ob publicam utilitatem, augendumque cultum Divinum, & animarum salutem melius procurandam: factis fit in pensione ad Succesorem transmissibili. Unde patet imbecillitas contrariorum: alioquin certe, si quid probarent, manifeste sequeretur, quod Episcopus ex causa rationabili posset novam & perpetuam pensionem Beneficio imponere, sicut potest ex iusta causa in perpetuum dismembrare Beneficia, atque ob multitudinem, seu distantiam Parochianorum, dividere in perpetuum Ecclesias Parochiales: quod est contra dicta num. 87. & communem Doctorum.

98 Quæritur III. Utrum sit licitum, resignare beneficium Ecclesiasticum, reservatā annuā pensione? Resp. I. Illicitum est, atque simoniacum, resignare (aut conferre) Beneficium cum pacto, seu conditione appositā solvendi pensionem. Ita D. Thomas 2. 2. *quest.* 100. *aut 4. in fin.* loquens in casu, quo Episcopus conferens alteri Beneficium, requirit aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii: quia (inquit) idem est, ac si aliquid munus ab eo exigeret; & non caret vicio simoniæ. Id ipsum tenet Abbas *cap. un.* num. 14. *Ut Ecclesiastica beneficia &c.* Garcias *part. 1. de Benefic. cap. 5. numer. 340. & seqq.* Pirhing, *h. t.* num. 11. & Fagnanus *c. Nisi essent. num. 18. & 19. de Præbend.* istud intelligens tam de Episcopo in collatione beneficii pacifcente, ut sibi solvatur pensio; quam de alio, puta de Resignante, simile pactum inane cum Resignatario: atque asserens, casum hunc non esse dubium. Ratio est: quia omne pactum, omnique conventio, quæ jure non inest, adjecta collationi Beneficii, efficit eam simoniacam: ut *can. Quampio. t. g. 2. & cap. ult. de Pactis. & c. Quæstium. 5. de Rerum permutat. cum similibus.* Unde etiam in *c. Nisi essent. 21. de Præbend.* pensionem quadraginta librarum, ad dies gravati prioris alteri pro bene pacis constitutam, non aliter Papato-leravit, nisi quia non ex pactione partium, sed ex iustione iudicium debebat exhiberi.

99 Resp. II. Etiam seclusā omni pactione, seu conditione appositā, regulariter loquendo renunciatio Beneficiorum sub reservatione pensionis sibi annuatim præstandæ, coram Episcopo, vel alio Collatore Papæ inferiore, fieri non potest; neque ab hoc approbati, vel admitti. Ita Barboza *lib. 3. Jur. Eccl. univ. cap. 15. num. 179.* Engel *h. t. num. 10. & alii.* Concordat novissimum Edictum, iussu S. D. N. Innocentii Papæ XII. emanatum, tenoris sequentis.

## EDICTUM

Non gravandi Ecclesias Parochiales Pensionibus.

Bandinus Tit. S. Pangratii Presbyter 100  
Cardinalis, Sanctissimi Domini No-  
stri Vice-Datarius.

Cum velit Sanctissimus Dominus Noster ex paterna sua charitate, & Zelo, excitare Parochos ad majorem vigilantiam, pro animabus ipsorum cure commissis, atque faciliorem ipsis sternere viam subveniendi earundem necessitatibus pro copiosiores elemosinas: Idecirco accepto orationis ad Sanctitatem Sua expresso mandato, præcipimus, & statuimus, ne in posterum graventur Parochiales, etiam Jurisdictionis laici, Pensionibus; atque hoc etiam observetur ad ipsos Locorum Ordinarios, in Provisionibus ad ipsos spectantibus. Præterea, ne admittantur resignationes, aut permutationes Parochialium cum reservatione Pensionum; ad cuiuscunque favorem, & sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum; multaque minus reserventur Pensiones super easdem Parochiales, sine causa, beneficio pleno, cum consensu Possessorum, sub quocunque causa & titulo. Ex Dataria hæc die 11. Novembris, 1692.

Bandinus Cardinalis,  
Vice-Datarius.

Accedit ratio. Tum quia Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur. Atque Episcopus nequit dispensare in Jure communi, & contra Sacros Canones, saltem regulariter loquendo, ac extra casum necessitatis; ut dictum supra *lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 18. n. 465. & seqq.* Tum quia talis resignatio, in effectu est permutatio Beneficii Ecclesiastici pro parte fructuum annuam præstandorum; & consequenter cum fructus ut à Beneficio separati, sint quid temporale, fieret permutatio rei spiritualis pro temporali, quæ foret manifesta simonia. Tum tandem, quia quod Beneficia simpliciter, & pure nulloque pacto interveniente sint resignanda, liquet ex *c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat. & c. Super eo. 7. de Transaction. & cap. ult. de Pactis & c. Quæstium. 5. de Rerum permutat.*

Additur notanter in data Conclusionem, regulariter loquendo. Nam, quod ex iusta gravique causa (puta, quia Resignans est ætate decrepituus, vel infirmus; aut quia pro bono pacis fit resignatio Beneficii litigiosi, & hujusmodi) possit Episcopus resignanti pensionem constituitur, persolvendam ipsi ad vitam Clerici gravati, seu consentientis in eam; satis probatur ex *c. Nisi essent. 21. de Præbend.* & tradit Barboza *ibid. num. 8. & Fagnanus numer. 28.* asserens, hanc esse receptissimam sententiam. Abbas *c. Ad audientiam. 31. num. 6. & Felius ibid. num. 2. de Rescript. Navarrus Consil. 4. num. 1. & 2. de Simonia. Patecius in praxi Episcopali, part. 2. cap. 5. num. 64. Card. Tulchus Lit. P. Concl. 269. Nicol. Garcias part. 1. de Beneficiis, cap. 5. numer. 295. & seqq.* citans quamplures alios, & solvens contraria; atque concordant dicta superioris num. 89.

Neque his contrariari videtur novissimum Edictum numer. 100. relatum. Nam prima, sicut & postrema pars, loquitur de Pensionibus ipsi Beneficio imponendis, seu quibus gravantur Ecclesiæ Paro-

Parochiales: five dein id fiat, dum vacant, ac de novo conferenda sunt; five, dum plene sunt, atque accedit consensus possessorum: de hujusmodi enim Pensionibus data Conclusio non loquitur, quinimo hæc paulo superius, videlicet n. 92. 93. & seqq. ex professo rejectæ fuerunt. Ad alteram verò partem, prohibentem, ne admittantur resignationes, aut permutationes Parochialium cum reservatione Pensionum ad cuiuscunque favorem, & sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum, Responderi potest eo modo, quo in simili ad Constitutionem B. Pii V. quæ incipit, *Intolerabilis*, contra Confidentialis 1569. Kal. Junii emanatam, respondet Barboza *part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 85. n. 11.* citans Nicol. Garciam *part. 1. de Benefic. cap. 5. num. 313. & Filliucium tract. 42. de Pensionibus, cap. 3. num. 5.* videlicet, quod ejusmodi verbis non fit Episcopus abrogata aliqua facultas, quæ prius licite uti poterat: sed solum prohibetur, vel puniatur impositio pensionis ab Episcopo facta sine causa, videlicet rationabili & iusta.

Atque hunc intellectum important ipsamet verba allegati Edicti; ut ibi: *Ad cuiuscunque favorem*: Quia favorem duntaxat nemo rationabiliter agnoscet pro iusta causa imponendi pensionem, etiam ad vitam solius gravati duraturam. Item ibi: *sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum*: nam per ly, *quocunque titulo*, non excludi iustam causam, sed duntaxat quemcunque titulum futilem, fictum & coloratum, probat casu illa, etiam præstationis alimentorum. Siquidem dictio *Etiam* est implicativa; atque exprimit casum magis dubitabilem, simul tamen implicando, seu involvendo casum minus dubitabilem. Barboza *tract. de Dictionibus. Dist. 112. num. 1.* citans plurimos alios. Unde consequens est, quod præcedens clausula, *sub quocunque titulo*, denotet casus minus dubitabiles, minisque ponderosos, ac est præstatio alimentorum: tales autem non possunt esse, nisi tituli futiles, ficti aut colorati; cum & præstatio alimentorum secundum se præcisè spectata, & seclusā quocunque circumstantia graviori, non sit majoris ponderis. Patet enim, quod quilibet homo indiget alimentis quotidianis; ergo, si semel concederetur, hunc titulum se solo, ac seclusā v. g. paupertate Resignantis, vel aliâ ponderosiori circumstantiâ, sufficere pro constituenda Pensione, quilibet Clericus resignans, etiam opulentissimus, posset sibi in Beneficio resignato reservare pensionem, autoritate Superioris constituendam: quod utique foret absurdum; præberetque portam latissimam pensionibus, ac diminutioni reddituum Beneficialium, merito autoritate Apostolicâ denuo præclusam. Quamquam si Clericus resignans reverâ sit pauper, non idecirco videatur prohibuit, moderatam pensionem eidem constituere, ne vel ob defectum alimentorum mori, vel in opprobrium status Clericalis mendicare cogatur.

105 Quin imò, quod existente rationabili causâ pro reservanda sibi moderata pensione possit Resignans, ut securior sit, Episcopo ante suam resignationem supplicare; desumitur ex *c. Tua nos. 34. de Simonia*, ibi: *Rogans humiliter*: ac notat Engel *h. t. numer. 10.*

106 Insuper possunt partes prius inter se tractare, atque Resignans super aliqua pensione sibi danda cum Succesore amicabiliter componere: non quidem absolute, & quasi per se ipsos illam concludendo (hoc enim non careret labe simoniæ, saltem Ecclesiasticæ, *c. Quæstium de Rerum permutat. junctis dictis num. 98.*) sed sub conditione, relata in consensum Superioris, seu Episcopi, in cuius Reiffenstuel *Jus Can. Tom. III.*

manibus Beneficium resignatur, ac sese submittendo dispositioni ejus. Glossa in *Clem. un. §. Volentibus. de Rerum permutat. Abbas in cit. c. Quæstium. num. 10. eod.* hanc opinionem appellans veriore. Navarrus *Consil. 18. num. 1. de Simonia.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 10. cap. ult. §. 5. num. 50.* Suarez, Sylvest. & plures alii; & concordant dicta superioris *lib. 1. Tit. 9. de Renunciacione. §. 4. num. 102. & 103.* Quidquid nonnulli & signanter Garcias *cit. part. 1. cap. 5. num. 340. & 343.* & Fagnanus *c. Nisi essent num. 5. de Præbend.* contradicere videantur; asserendo, quod compositiones pro Beneficiis, & Beneficialibus, ad hoc, ut valeant, & à simonia excusentur, debeant capere principium ab autoritate Superioris, & non à pactione sui conventionis partium: quamquam etiam hi Authores de pactione, seu conventionem absoluta partium, & non de compositione amicabili juxta consensum superioris, intelligi possint.

## TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

1 Ratio continuationis Rubricarum. Postquam in præcedentibus visum est de rebus, iuribusque Clericorum spiritualibus, nimirum de Præbendis & Dignitatibus, nec non de potestate disponendi circa ipsas; merito in hoc, ac sequentibus Titulis, tractatur de rebus eorundem temporalibus. Et quia quandoque res Ecclesiasticas expedit alienare, non raro autem id foret præjudiciale, atque damnosum Ecclesiis; hinc Rubrica præsentis Tituli duplex continet membrum. Pro cuius meliori intelligentia, fit

## §. I.

De nomine Alienationis, rebusque Ecclesiæ alienari prohibitis.

## SUMMARIUM.

- 1 Quid nomine Alienationis intelligatur?
- 2 Sumitur in proposito large.
- 3 Regula est, quod res immobiles, aut mobile spirituosæ Ecclesiarum &c. alienari non possint, nisi &c.
- 4 Hæc prohibitio est antiquissima, & jam à tempore Apostolorum. Et num. 65.
- 5 Textus Extravaganantis, Ambrosiæ, refertur.
- 6 Mobilia, & Immobilia, quæ?
- 7 Jura, & actiones, seu nomina debitorum, vi nominis nec sunt mobilia, nec immobilia; sed constituunt tertiam speciem.
- 8 In proposito tamen nomine Immobiliam comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia; seu, ad mobilia.
- 9 Nomine Immobiliam veniunt etiam servitutes prædictorum, jura piscandi, venandi &c.
- 10 Ac census, seu annui redditus.
- 11 Mobilia pretiosa, quæ?
- 12 Reliquæ Sanctorum numerantur inter Mobilia pretiosa.
- 13 Quid dicendum de poculis argenteis, calicibus &c. minus utilibus?
- 14 Pecunia regulariter potest absque solemnitate alienari: nisi sit deputata pro emendis immobilibus &c.



Et quando sic censetur esse deputata? Ibid.  
16 Nominē mobilium pretiosorum etiam comprehenditur grex ovium, caprarum &c.

2 Quæritur I. Quid nomine Alienationis intelligatur? Resp. I. Generatim loquendo, Alienationis nomine continetur omnis actus, quo dominium rerum transfertur. Ita textus expressus in L. I. C. de Fundo dotal. ibi: 'Est autem alienatio, omnis actus, per quem dominium transfertur. Intelligitur, quando hujusmodi dominii translatio est voluntaria; non autem necessaria, arg. l. Peto Luci. §. Prædium ff. de Legat. II. Unde, quando ea sit necessario, pura, ex ordinatione Testatoris, vel ex sententia Judicis, non diceretur juris proprie alienare: neque incidere in poenam impositam alienanti. Barbosa tract. de Appellat. verb. Jur. signif. Appellat. 14. n. 2. & 4. citans alios.

3 Resp. II. Alienationis nomen in proposito sumitur large, ac prout comprehenditur omnem actum quo Dominium rei directum, vel utile, aut usus fructus, seu jus in alterum transfertur. Ita Glossa in c. Nulli. §. Alienationis h. t. Azorius part. 2. lib. 9. cap. 1. q. 2. Barbosa in Collectan. ad Extravag. Ambitiosæ num. 5. h. t. inter Commun. citans alios. Idque patet ex c. Nulli. §. h. t. ubi dicitur: quod Alienationis verbum continet conditionem (alias conductionem) donationem, venditionem, permutationem, & emphyteusis perpetuum contractum: atque etiam (ut ibid. §. 1. dicitur) specialis hypothecæ titulo obligationem. Concordat can. Apostolicos. 12. q. 2. & Auth. De non alienandis rebus &c. §. Nos igitur. Collat. 2. cum similibus: & amplius habetur in Extravag. Ambitiosæ. h. t. inter Commun. cujus verba numer. 6. referuntur.

4 Quæritur II. Quales res Ecclesiarum prohibuitur sit alienare? Resp. I. Regula est, quod res immobiles, aut mobiles pretiosæ Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque Locorum piorum, alienari non possunt, nisi subsistente justa causa, & servata debita Juris solemnitate: & si secus fiat, alienatio non tenet, sed ipso jure sit irrita; atque insuper bona talia Ecclesiastica alienans, & sic alienata recipiens, præter alias poenas, juxta diversitatem personarum conflituras, poenam excommunicationis incurrat. Ita patet ex can. Apostolicos, cum seqq. 12. q. 2. & c. Nulli. 5. & c. Si quis Presbyterorum. 6. 12. q. 2. & c. Nulli. 5. & c. Si quis in juncto cap. 1. & c. Ad audientiam. 9. & seqq. h. t. juncto cap. 1. & 2. cod. in 6. & Clementinis, quæ innovantur, vel de novo statuantur in Extravag. Ambitiosæ. cod. tit. inter Commun. & quantum attinet posteriorem partem Conclusionis, amplius dicitur infra §. 3. n. 62. & 66. ac seqq.

5 Concordat Auth. De non alienandis &c. §. Nos igitur. Collat. 2. eandem alienationem rerum Ecclesiasticarum ex professo prohibens. Quin imò hæc prohibitio est antiquissima, etiam à tempore Apostolorum, arg. cit. can. Apostolicos. 12. q. 2. ibi: Apostolicos, & paternos Canones renovans &c. ac notat Card. de Luca Discurs. 13. de Alienat. num. 2. allegans alios.

6 Solummodo pro majori intelligentia sequentium est prænotandum, quod in citata Extravaganti, Ambitiosæ. h. t. inter Commun. præmissis malis, quæ sequuntur, si immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata - profanis usibus applicentur, sicque alienantur cum maximo Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Locorum piorum, ac Divini cultus detrimento, inter alia Pontificæ, seu Paulus Papa II. sic statuerit: Omnium rerum, & honorum Ecclesiasticorum alienationem, omnique pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, nec non infeudationem,

vel contractum emphyteuticum præterquam in casibus à Jure permittis, ac de rebus, in bonis & emphyteusis ab antiquo concessi solitis, & tunc Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, hæc perpetuò validè à Constitutione præfati fieri prohibentur: Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ tempore præsentium innovamus, in suo nihilo minus robore permansuris. Si quis autem contra hujusmodi nostre prohibitionis seriem de bonis, & rebus ejusdem quoquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullus omnino sit roboris, vel momenti. Et tam, qui alienat, quàm is, qui alienatus res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum quorumlibet in consilio Romano Pontificis, aut contra præsentis Constitutionis tenorem si Pontificali, vel Abbatiæ præfulgent dignitate, ingressus Ecclesie sit penitus interdictus &c. Hæc Papa in cit. Extravag. Ambitiosæ, pro cæteris inferioribus Prælati alias poenas, inferius num. 65. & 68. referendas, subjungens; atque statuens, quod nihilo minus alienata res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & Loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, liberè revertantur. Nulli ergo &c. Concordat Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 11. de Reform. Sed occasione prædictorum

Quæritur III. Quænam censentur res immobiles, ita ut alienari prohibeantur? Resp. I. Mobilia dicuntur, quæ loco moveri possunt: ut pecunia, vestis, navis, animalia &c. Nam, quod mobilia, & moventia (puta, animalia) idem sunt, nisi aliud appareat ex mente loquentis; textus est in l. Moventium. ff. de Verb. signif. Contra verò Immobilia censentur, quæ loco moveri non possunt: prædia, domus, agri, & hujusmodi.

Resp. II. Esti vinominis, ac secundum primærum significatum vocabulorum, jura, & actiones, seu nomina debitorum, nec sint mobilia, nec immobilia, sed confluunt tertiam speciem: nihilo minus in proposito nomine Immobilem etiam comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia. Ita Abbas c. Nulli. numer. 9. h. t. Azorius part. 2. cap. 1. quest. 6. Pirhing h. t. num. 13. & alii. Ratio prioris partis est: quia actiones, & jura, cum sint quædam incorporata, non concluduntur certo loco; & sic non possunt dici mobilia, videlicet ab uno loco in alium, nec immobilia. Unde in l. A divo Pio. §. In venditione. ff. de Re judicat. jura, & actiones, seu nomina debitorum, pro tertia quadam specie ponuntur: statueno, ut in venditione pignorum primò Res mobiles, & animalia; & si hæc non suffecerint, deinde pignora soli, seu immobilia distrabantur; & si nec ista sufficiant, tunc perveniatur etiam ad jura.

Altera pars desumitur ex cap. I. h. t. in 6. ubi jura, seu actiones ad immobilia, æquiparantur immobilibus, ibi: Bona immobilia, aut jura Ecclesiarum: junctâ l. Qui actionem. ff. de Reg. Jur. ibi: Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur, cum similibus. Atque hoc procedit de juribus, seu actionibus ad immobilia: nam actiones ad mobilia, v. g. actio ad debitum certæ pecuniæ, dicitur res mobilis, sicut ipsa pecunia. Abbas, & Azorius, ubi supra. Lugo disp. 6. de just. & jure. n. 66. & alii.

Insuper nomine Immobilem in proposito veniunt 10 servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, & hujusmodi: ut L. ult. §. fin. C. de Præscription. longi tempor. ibi: Eadem observando, est res non solum solum incorporatales, quæ ipso jure consistunt; veluti usus fructus,

& cæteræ servitutes. Et concordat Clem. 1. h. t. illis verbis: Jura, redditus, aut possessiones ejusdem Monasterii. Siquidem hæc omnia fixa manent, & inhiat immobilium afferunt fructum suum.

11 His adde census, seu annuos redditus; uti habetur in Clem. Exivi. §. Cumque annui. de Verb. signif. ibi: Cumque annui redditus inter mobilia censentur à jure. Concordat textus notabilis in Authent. De non alienandis &c. §. Vult enim illa Collat. 2. ubi inter alia Civiles annuæ (scilicet, redditus à Filco percipiendi singulis annis, ut explicat Glossa ibidem) inter mobilia dicuntur esse numerandæ.

12 Quæritur IV. Quænam dicantur Mobilia pretiosa, ita ut alienari nequeant? Resp. I. Illa dicuntur Mobilia pretiosa, quæ sunt de thesauro Ecclesie; vel quæ propter pretium, artem, seu antiquitatem, conferunt Ecclesie singularem splendorem; uti sunt aurum, argentum, gemmæ, ornamenta, & vasa Ecclesiastica pretiosa, & hujusmodi. Azorius cit. part. 2. lib. 9. cap. 1. q. 7. Engel h. t. n. 5. Pirhing eod. num. 12.

13 Reliquæ etiam Sanctorum, maxime ubi perpetuè sepulture sunt traditæ, aut in muro clausæ, rectissime inter Mobilia pretiosa numerantur. Aloys. Riccius in Praxi part. 1. resolut. 60. num. 3. & seqq. Engel, ubi supra & alii.

14 Non tamen ex hoc titulo videtur prohibitum, quin Prælati possit aliqua pecunia argentea minus utilia absque aliis solemnitatibus Juris alienare; seu veteres Calices, aut ornamenta pro novis commutari: prout consuetudo, optima legum interpretis, passim declarat. Engel cit. n. 5.

15 Pecuniam etiam regulariter potest Prælati sine solemnitate expendere: quia est res mobilis; atque deposita in cista, nullum fructum affert, can. Episcopus. dist. 88. Abbas d. c. Nullini 11. h. t. Dummodò hinc excipitur casus, quo certa summa pecuniæ specialiter deputata est ad emenda bona immobilia, vel Ecclesiam ædificandam, aut pro gravissimis futuris necessitatibus reservata, arg. l. 3. §. Quid ergo ff. de Contraria & utili action. tutel. ubi pecuniam ad prædiorum comparationem depositam Tutor alienare non potest, nec ex ea sibi solvere. Azorius part. 2. lib. 9. cap. 1. nu. 5. subjungens, tunc pecuniam Ecclesie censerit deputatam ad rem immobilem emendam, quando cum Superioris autoritate, & Clericorum consensu, ad id retinetur. Quaranta §. Alienatio rer. Eccles. num. 25. Engel h. t. num. 7.

16 Resp. II. Insuper nomine Mobilium pretiosorum comprehenduntur illa mobilia, ex quorum fructibus diuturnum emolumentum, annuosque redditus percipere consuevit Ecclesia, sive Monasterium. Ita Molina tom. 2. de Just. & jur. disp. 465. n. 4. istud intelligens de grege ovium, vel caprarum. Licet enim fas sit, alienare, seu vendere arietes, hircos, & hujusmodi; non tamen fas est alienare totum gregem, nisi concurrentibus causis, & servata debita forma, quæ in alienatione rerum pretiosarum, quæ servando servari possunt, necesse est concurrant. Ita Molina lo. cit. & sequitur Pirhing, h. t. n. 12. & Sannig eod. tit. cap. 1. num. 8.

§. II.

De causis, & solemnitatibus Juris ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis.

SUMMARIUM.

17 Generatim ad legitimam alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosarum, requiritur Jus Can. Tom. III.

farum, requiritur justa causa, & debita solemnitas.

18 Hujusmodi justa causa alienandi est triplex: videlicet, necessitas Ecclesie.

19 Utilitas Ecclesie.

20 Quæ debet esse manifesta.

21 Et pietas: quæ exemplificatur.

22 Nonnulli addunt quartam causam, nempe incommoditatis: sed hæc reducitur ad secundam.

23 Qualis solemnitas requiritur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum? Et num. seqq. Hanc debet præcedere Tractatus Capitularis: & qualis? Ibid.

24 Ad eandem requiritur consensus Capituli.

25 Et cujus Capituli?

26 Consensus ille Capituli debet esse expressus, nec sufficit tacitus.

27 Solvitur notabilis instantia.

28 Ad ejusmodi alienationem etiam requiritur, ut Capitulum se subscribat.

29 Et quomodo hæc subscriptio fieri debeat?

30 Requiritur etiam consensus Superioris: & cujus antiquitus?

31 Hodie, de puncto Juris loquendo ad eam requiritur consensus Summi Pontificis.

32 Et quid de consuetudine, præsertim Germanicæ?

33 Patroni consensus non requiritur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum.

34 Nisi in duobus casibus: & quibus?

35 Prædictæ solemnitates requiruntur solum in alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium, & mobilium pretiosarum.

36 Fallit hæc regula in Terrulis, & aliis rebus exiguis: Idque declaratur.

37 Can. Terrulas. 12. q. 2. de factis non est derogatum. Et num. præced.

38 Res exigui valoris, quæ?

39 In alienatione necessaria non requiruntur solemnitates juris.

40 Res ab antiquo infeudum, vel emphyteusim dori solite, possunt absque solemnitatibus juris deinde infeudari &c.

41 Secus si hæcenus non sint solite dari in feudum, vel emphyteusim.

42 Locatio ad triennium valet sine alia solemnitate.

43 Utrum locatio facta ultra triennium, valeat saltem ad primum triennium?

44 Repudiatio rerum, quæ nondum sunt incorporate bonis Ecclesie, valet absque solemnitatibus.

45 Mancipia Ecclesie, an, & qualiter alienari poterant?

46 Fructus, aliæque bona Ecclesiastica, quæ servando servari non possunt, alienantur sine solemnitatibus.

47 Et quæ dicantur Bona, quæ servando servari non possunt?

48 Quid de Religionibus speciale privilegium habentibus, alienandi bona etiam stabilia absque licentia Papæ, vel Ordinariorum?

49 An requirantur præfate solemnitates juris, si alienatio ab una Ecclesia fiat alteri Ecclesie? Et num. seqq.

Sententia negativa cum suis rationibus refertur. Ibid.

50 Sententia affirmativa est Juri conformior, & in præsentenda.

51 Solvuntur rationes negativæ sententiæ.

Quæritur I. Quæ generatim requiruntur ad legitimam alienationem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ Ecclesiarum? Resp. Ad hujusmodi alienationem duo copulativè requiruntur, V 3 vi-



videlicet iusta causa, & debita solemnitas. Ita communis; atque patet ex can. Sine exceptione. 12. q. 2. ubi dicitur: Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesie sue quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat: nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat; & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesie. Id ipsum habetur cap. 1. h. t. in 6. ubi proinde Jo. Andreas in Summario breviter inquit. Perpetua alienatio facta de rebus Ecclesie vacantis non procedit tractatu, & sine iusta causa, non valet: cum concordantibus.

28 Quæritur II. Quotuplex sit iusta causa alienandi res Ecclesiasticas? Resp. I. Iusta causa alienandi res Ecclesiasticas est triplex; videlicet, necessitas Ecclesie, utilitas Ecclesie, & pietas. I. in re communis; quamvis nonnulli addant quartam causam, nempe incommoditatis. Id est, causa rite alienandi res Ecclesiasticas, ceteroquin alienari prohibitas, est necessitas Ecclesie, cui aliter subveniri non potest. Textus est in Clem. 1. h. t. ubi sub nullitate actus prohibitionem alienationem iurium, reddituum, aut possessionum cuiuslibet Monasterii, exorsit excipitur casus necessitatis, illis verbis: Nisi necessitas, aut utilitas Monasterii hoc exposcat. Concordat cap. 1. de Pignori. ibi: Nisi iustissima necessitate urgente. Ubi fiet, si Ecclesia ære alieno sit gravata, nec habeat res mobiles, unde solvat; aut quando alia similis causa necessitatis extremæ id deprecet. Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiast. cap. 30. n. 12. & alii.

29 Secunda, est utilitas Ecclesie manifesta: ut si res aliqua Ecclesie alienatur ad aliam meliorem emendam, iuxta cit. can. Sine exceptione. 12. q. 2. ubi: Nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat; & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesie. Id ipsum clarissime habetur in c. Ut super. 8. §. fin. h. t. ubi Pontifex sic loquitur: Possessiones vero, quæ Ecclesie tue minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de Fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & assensu, alienandi, seu commutandi liberam concedimus facultatem.

30 Debet autem huiusmodi utilitas esse manifesta; adeo, ut conditio Ecclesie patenter melior fiat, & locupletior. Barbosa d. cap. 30. num. 15. post Rotam Decis. 65. num. 48. & Decis. 367. num. 5. & 7. part. 5. Divers. & alios. Unde non sufficit, quod Ecclesia non damnificetur; sed requiritur lucrum de tempore alienationis, cit. can. Sine exceptione. 12. q. 2. Barbosa eod. cap. 30. num. 17. citans Rotam in Bonon. Devolutionis. 16. Novemb. 1621. coram Rev. D. Cocchino Decano, & plures Authores.

31 Tertia, est pietas: veluti, si bona Ecclesie sint alienanda ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos, seu ad ædificationem Templi, vel augmentationem Cœmeterii pro Fidelium sepultura. De his ex S. Ambrosio lib. 2. de Officiis, cap. 28. habetur textus pulcherrimus in can. Aurum. 12. q. 2. illis verbis: Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat. Et infra: Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redempti sunt. Nemo potest accusare, quia Templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humanis Fidelium reliquis spacia laxata sunt. Nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defuitorum est: In his tribus generibus vasa Ecclesie etiam iniuncta infringere, conflare, vendere licet. Hæc ibi.

32 Glossa in Summa. Caus. 12. quest. 2. §. Nunc queritur. & Abbas c. Novit. num. 5. h. t. & Barbosa lib. 3. Jur. Eccles. univ. cap. 30. numer. 11. & Fagnanus c. Nulli. num. 7. h. t. quartam addunt causam, ob

quam licitum est alienare bona Ecclesie; nempe causam incommoditatis, vel minoris utilitatis, arg. can. Terrulas. 12. q. 2. Ubi Episcopo conceditur, ut terrulas, & vineolas, possit alienare sine consilio Fratrum, five Capituli sui, concurrentibus tamen copulativè his tribus; nempe, ut sine exigui valoris, & Ecclesie minus utiles; simulque sub sit necessitas, seu utilitas quædam eas alienandi, ut ex contextu patet. Verumtamen hæc causa incommoditatis aptè reducitur ad secundam ex tribus enumeratis in Conclusione videlicet ad utilitatem Ecclesie: nam huic utile est, carere incommoditatibus.

Quæritur III. Qualis solemnitas requiratur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum? Resp. cum communi, solemnitas, seu forma observanda in alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium, aut mobilium pretiosarum, consistit in sequentibus. Primò, ut præcedat Tractatus Capitularis: id est, ut Prælatus cum Capitulo, seu conventu capitaliter congregato, ac unoquoque dicente, quod sibi videtur, deliberet, an sub sit iusta causa; simulque, an expediat rem illam alienari. Idque patet tum ex cit. can. Sine exceptione. 12. q. 2. cuius verba superius num. 17. referuntur. Tum ex c. Tua nuper. 8. junctâ Glossâ §. Tractatu. De his que sunt à Prælati. &c. ac præsertim ex cap. 1. h. t. in 6. ubi, qui tractatus solemniter & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus, cassatam judicialiter fuisse alienationem legitur.

Secundò, ad alienationem dictarum rerum Ecclesiasticarum requiritur consensus totius Capituli, seu majoris & sanioris partis ipsius. Et hoc patet ex c. Ut super. 8. §. fin. h. t. ibi: de Fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & assensu. junctâ cit. can. Sine exceptione. 12. q. 2. cum similibus. Nam propter plurima damna, ex indifferens alienationibus per nonnullos Prælatos Ecclesie illata, merito horum potestas restricta fuit, ut posterum non valeat alienatio bonorum Ecclesiasticorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, absque consensu Capituli.

Et si petas, cujus Capituli consensus requiratur? Resp. breviter cum Abbate in cap. 1. n. 5. De his, que sunt à Prælati &c. Pirhing h. t. n. 29. & 45. quod, si Episcopus est auctor in alienatione rei Ecclesie Cathedralis, vel alterius inferioris; tunc requiratur consensus Capituli Cathedralis, arg. cap. 1. junctâ Glossâ §. Tenues h. t. in 6. cum similibus. Quando autem Episcopus non est auctor dictæ alienationis, sed Rector inferioris Ecclesie; tunc si ita habeat Collegium, requiritur, atque sufficit consensus Collegii, huiusque subscriptio una cum auctoritate Episcopi, arg. can. Abbatibus. 12. q. 2. & Clem. 1. junctâ Glossâ §. Proprii. h. t. Quod si verò Ecclesia inferior non habeat Collegium, sufficit, quod Rector ipsius alienet rem Ecclesiasticam cum consensu Episcopi, arg. can. Placuit ut Presbyteri. 11. q. 2. Accedit ratio dispartitatis: quia, ubi Episcopus est auctor alienationis, ipse foret solus, atque subintraret periculum, ne per eum dissiparentur bona Ecclesiarum; sique merito requiritur consensus Capituli sui, hæc autem ratio cessat, ubi Episcopus non est auctor alienationis, sed Rector inferioris Ecclesie; quare sufficit auctoritas Episcopi, simpliciter. Concordant in simili dicta superius Tit. præced. §. 2. n. 29.

Cæterum in alienatione perpetua rerum Ecclesiasticarum immobilium, seu mobilium pretiosarum, requiritur consensus Capituli expressus; nec sufficit tacitus. Glossa in c. Continebatur. §. Contradicente. De his que sunt à Prælati &c. & alia Glossa cap. 1. Per-

Perpetuis. h. t. in 6. Abbas cap. 1. num. 3. de his que sunt à Prælati &c. Pirhing eod. tit. num. 2. Accedit ratio, quia ad alienationem perpetuam rerum Ecclesiasticarum requiritur diligens tractatus prævius, cap. 1. h. t. in 6. simulque collaudatio, atque subscriptio Capituli, cap. 1. De his que sunt à Prælati &c. Atqui ista important consensum expressum; ergo.

27 Nec obstat cap. 2. & 3. De his que sunt à Prælati &c. ubi ad alienationem rerum Ecclesiasticarum per Prælatus factam, sufficit consensus tacitus ipsius Conventus; ut putâ, scientis, & non contradicentis: imò & subsequens rati habitio. Resp. enim, istud procedere in alienationibus temporalibus, de quibus loquuntur Jura proximè citata: secus verò esse in alienationibus perpetuis, utpote quæ majus præjudicium Ecclesie inferre possunt, & de quibus procedunt Jura nunc præced. allegata, Glossa cit. cap. 2. §. Conradicente, quam approbat Abbas ibid. num. 6. De his que sunt à Prælati &c. Nam, quod jura iuribus, si fieri potest, sint concordanda, patet ex c. Cum expedit. 29. de Election. in 6. Nisi dicere velis cum Federico de Senis Consil. 51. & Jo. Andrea in Addit. ad Specular. tit. de Rebus Eccles. non alienand. super Rubric. in fin. atque Abbate loc. cit. n. 3. hæc posteriora Jura procedere in alienatione rei Ecclesiasticæ modicæ; ut can. Terrulas. 12. q. 2. Secus verò esse dicendum, si res sit magna: nam tunc requiruntur omnes solemnitates, si que etiam consensus expressus Capituli, licet alienatio non sit perpetua, sed duntaxat temporalis.

28 Tertio, ad alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, seu mobilium pretiosarum requiritur, ut Capitulum sit subscriptum. Textus est in cit. can. Sine exceptione. 10. q. 2. & cap. 1. De his que sunt à Prælati. ubi dicitur: Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, & subscriptione Clericorum. Verum circa hanc subscriptionem Clericorum, five Capituli, in praxi observetur laudabilis consuetudo locorum: juxta quam receptum videtur, ut si instrumentum alienationis manu publici Notarii conficiatur, necesse non sit, quod in ipso exprimantur nomina singulorum Capitularium; sed sufficiat, quod in ipso testetur Notarius de præstito unanimi, vel falcem majoris partis Capituli consensu. Quod si verò Notarius non fuerit adhibitus, solet instrumentum factæ alienationis apponi sigillum Capituli, unâ cum subscriptione Prædis (putâ, Decani) Senioris, & aliorum, saltem nomine collectivo designatorum. Abbas c. Quanto. n. 7. De his que sunt à Prælati &c. Aut si alicubi adhuc consuetudo vigeat, ut omnes Capitulares sese subscribere debeant, id intelligendum est de foliis præsentibus; adeo, ut absentium nomina nequam inscribantur, c. Quando. & Abbas ibid. n. 7. De his que sunt à Prælati &c. junctis dictis supra Tit. II. De his que sunt à majori &c. n. 17. 18. & 19.

Quarto ad ejusmodi alienationem requiritur consensus Superioris; si que opus est, ut ejus quoque auctoritas accedat. Porrò antiquius nomine Superioris, impræsentiarum veniebat proximus superior: ut putâ, in alienatione ab Abbate faciendâ Episcopus, can. Abbatibus. 12. q. 2. & can. In venditionibus. 17. q. 4. Imò in alienatione Episcoporum olim solus consensus Capituli requirebatur, can. Sine exceptione. 12. q. 2.

29 Hodie tamen, de puncto juris loquendo, in alienationibus rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum Ecclesiasticarum, etiam requiritur consensus Summi Pontificis: prout habetur clarè statutum in cap. 2. h. t. in 6. ibi: Absque Capituli sui consensu, & Apostolicæ sedis licentia speciali. Quod ip-

sum, & quidem generalis, & decernitur in Extravaganti, Ambrosio, supra n. 6. jam relata, ibi: Incon-julto Romano Pontifice.

Dicitur notanter, de puncto juris loquendo. Siquidem, ut post Zypæum in Analyti. jur. pontific. t. 1. n. 2. notat Engel h. t. n. 15. de Consuetudine, præsertim in Germania, & locis ab Urbe remotis, ubi difficilis aditus ad Papam est, dicta Extravagante recepta non est; saltem non quoad hoc, ut etiam inferiores Prælati Episcopis subjeçti teneantur in ejusmodi alienationibus consensum Papæ requirere; adeo, ut non sufficiat consensus Episcopi. Quin imò eandem Extravagantem in multis locis non esse usu receptam, saltem in toto rigore, ac præsertim quoad poenas, & locationem ultra triennium, asserit etiam Covarruvias lib. 1. Variar. Resolut. cap. 16. numer. 6. Navarrus in Manual. cap. 27. num. 149. Nivester in Summa. §. Alienatio. §. 15. Engel cit. num. 15. Pirhing h. t. num. 56. Valensis eod. §. 3. num. 3. cum pluribus aliis, quos citant. Unde in praxi attendantur particulares consuetudines locorum legitime præscriptæ.

Cæterum consensus Patroni non requiritur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum, si iusta causa sub sit, atque accedat consensus Superioris, cæteræque solemnitates rite observentur. Nam Patroni, seu conditores, aut dotatores Ecclesiarum, in rebus, quas eisdem Ecclesie conferunt, nullam habent potestatem: sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesia, ita & dos ejus, ad ordinem Episcopi pertinet; prout habetur can. Noverint. 10. q. 1. & can. De rebus. 12. q. 2. junctò Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 11. de Reform. ac notat Pirhing h. t. nu. 61. citans alios.

Excipe cum eodem Pirhing num. 62. duos casus. 34 Primò, si Patronus sua bona dedisset Ecclesie, non absolute, sed in feudum; tunc enim abique ejusdem consensu non possent alienari bona ipsius, arg. c. Ex transmissa. 6. & c. Verum. 7. de Foro competent. Secundò, si Patronus in lumine fundationis apposuisset hanc conditionem, etiam acceptatam ab Episcopo, ut non alienentur posterum bona Ecclesie sine suo consensu: de quo vide dicta superius Tit. 5. De præbendis. 8. q. n. 105. & seqq.

35 Quæritur IV. An prædictæ solemnitates requirantur in quarcumque rerum Ecclesiasticarum alienatione? Resp. I. Eas requirit solum in alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium, ac mobilium pretiosarum: nam de his duntaxat Jura, dictas solemnitates requirentia, loquuntur: ut c. Nulli. 5. h. t. ibi: Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesie. Quod ipsum procedere de re mobili, pretiosa, utpote quæ æquiparatur immobili quoad difficultatem alienationis, l. Lex que tutores. §. 1. C. de Administratione. tuor. notat Glossa c. Tua nuper. §. Tractatu. De his que sunt à Prælati &c. & Abbas d. c. Novit. n. 8. h. t. habeturque clarè decisum in Extravag. Ambrosio. h. t. inter Commun. ibi: Immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata.

36 Resp. II. Etiam ab hac generali regula oportet nonnullos casus speciales excipere, juxta illud vulgatum: Nulla regula sine exceptione. Sic imprimis excipiuntur Terrulæ, Vineolæ, & alia huiusmodi res exiguæ, minusque utiles Ecclesie, hæc enim (concurrentibus tribus conditionibus, supra n. 22. relatis) possunt alienari absque aliis solemnitatibus Juris; putâ, absque prævio tractatu, & per solum Episcopum non requiritur expresso consensu Capituli. Textus est in can. Terrulas. 12. q. 2. ibi: Terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesie minus utiles, aut longè postas parvas, Episcopus sine consilio Fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem. Hæc ibi: est que recepta Doctorum sententia. Neque huic can.



Terrulas, derogatum fuit per Extravag. Ambrosie, h. t. inter Commun. ac supra num. 6. reiam, nec per Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 11. de Reform. prout declarasse Sacram Congregationem Concilii die 11. Januarii 1596. refert Fagnanus c. Nulli num. 25. h. t.

37 Dices. Saltem memorato can. Terrulas. 12. q. 2. derogatum est per c. Ut super. 8. §. fin. h. t. eo quod hic requiratur consensus Capituli etiam pro alienatione rerum minus utilium, illis verbis: Possessiones vero, que Ecclesie tue minus sunt utiles, pro aliis minoribus de Fratrum tuorum, & sanctorum partis consilio & assensu alienandi, seu commutandi, liberam concedimus facultatem. Hec ibi. Resp. negando Assumptum: nam ut notat Glossa fin. ibid. & Engel h. t. num. 8. in allegato textu ly, Possessiones minus utiles, dicuntur tales comparatione magis utilium: & sic verbis istis denotatur iusta causa alienandi res Ecclesie; nempe major utilitas, servatis tamen debitis solemnitatibus juris. At vero in cit. can. Terrulas, per ly, res minus utiles, intelliguntur illae, quae sunt tales simpliciter & absolute, atque in harum alienatione non requiritur expressus Capituli consensus, sed sufficit tacitus; qualis jam censetur intervenire, dum Capitulum scit, talem fieri alienationem, & non contradicit, c. Coninebatur. 2. De his que ad Praelatis, &c.

38 Quamvis autem dicatur Res exigui valoris, cum id iure definitum non sit, est relinquendum Iudicis arbitrio, qui consideratis Ecclesie alienantis facultatibus, valore rei alienandae, & loci consuetudine, aestimabit, & iudicabit, an huiusmodi res sit modica, nec ne; per textum in c. Ceterum. 3. de Donation. & tradit Abbas cap. 1. n. 8. De integre restitut. Menochius de Arbitr. Judic. lib. 2. cas. 145. num. 4. Card. de Luca De alienation. Discurs. 1. num. 117. & 118. Valensis h. t. §. 2. num. 3. & Fagnanus in c. Nulli n. 62. h. t. allegans pro hac sententia Decisionem Sacrae Congregationis Concilii.

39 Secundum ad praefata regula, seu necessitate adhibendi memoratas solemnitates, excipitur alienatio necessaria, seu quae fit ex necessitate juris, eo quod Jus praecipit illam fieri. Sic bona immobilia Fratrum Minoribus sub modo legito legata, v. g. domus, agri, ut vendantur, ac pretium in ipsorum Fratrum necessitates convertatur, possunt per idoneas personas alienari: neque in huiusmodi alienatione opus est alia solemnitate, quia fit ex praescripto Regulae S. raphicae, iuncta ejusdem Declaratione per Nicolaum III. edita, quae refertur in c. Exiit qui seminavit. §. Ad haec quia de Verb. signif. ad eoque ex necessitate juris. Fagnanus lo. cit. Nulli num. 27. & 28. h. t. Socinus in Fallentis, Reg. 10. n. 3. & alii.

40 Tertio excipiuntur res immobiles ab antiquo in feudum, vel emphyteusim dari solite. Hae siquidem feudo huiusmodi, vel emphyteusim expirante, iterum in feudum, seu emphyteusim dari possunt, absque solemnitatibus juris caeteroquin ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis; dummodo id fiat in evidentem Ecclesie utilitatem. Idque inter alia patet ex cit. Extravag. Ambrosie h. t. inter Commun. ubi a generali prohibitione alienandi bona Ecclesiasticarum, memoratae res immobiles clare excipiuntur, illis verbis: Praeterquam de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis: & notant Doctores communiter.

41 Hoc autem non licet, si res illae hactenus non sint solite dari in feudum, vel emphyteusim: idque tum propter dictam Extravag. Ambrosie. Tum quia in c. Nulli. §. h. t. generaliter prohibentur res immobiles Ecclesiasticarum alienari (intellige, absque iusta causa, & non servatis solemnitatibus juris) & mox

subditur: Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteusim perpetuum contractum.

Quarto excipitur locatio, atque conductio rei Ecclesiasticae ad triennium. Hae enim, si per Praelatum fiat iusta de causa, valet, etiam sine alia solemnitate: argumento a sensu contrario desumpto ex cit. Extravag. Ambrosie, ibi: Locatio, & conductio ultra triennium. Frustra enim in prohibitione locationis, & conductio rerum Ecclesiasticarum, adderetur ly, ultra triennium, nisi praemissa inteligeretur locatio & conductio ad triennium, vel infra.

Num autem locatio rei Ecclesiasticae ultra triennium, puta, ad novem annos, facta sine solemnitate, tota quanta corrumpat, cum Canonibus sine distinctione videantur annullare talem contractum; an vero saltem valeat quoad tres illos primos annos, iuxta Reg. 37. Juris in 6. Utile non debet permutari vitari; disputant Doctores. Breviter tamen dicendum cum Gutierrez Quon. Quasi. lib. 2. c. 13. n. 7. Engel h. t. n. 12. & alii. Rota apud Merlin. Decis. 826. eam non valere, si facta est una tantum indivisibilis locatio pro toto illo tempore: valere autem ad primum triennium, si modo ordinario facta est locatio pro annua pensione; & ita divisibiliter ad primum, secundum, & tertium, & reliquos annos. Item si fructus ex bonis locatis non percipiuntur singulis annis. Posthinc de Manuente. Decis. 215. nu. 9. ubi Rota.

Quinto excipitur alienatio, seu potius repudiatio rerum, quae nondum sunt incorporate bonis Ecclesie; ut sunt res Ecclesie legate, sed nondum traditae. Nam istas posse Praelatum valide repudiare absque solemnitatibus juris etiam si sint immobiles, tradit Socinus in Fallentis, cit. Reg. 110. & Valensis h. t. §. 2. num. 4. atque ex communiori, & probabiliori Doctorem, dictum est supra Tit. 10. De his que sunt ad Praelatis &c. §. 2. n. 38. & seqq.

Sexto excipiuntur Mancipia Ecclesie, quae licet inter res mobiles pretiosas computentur ideoque (deemptis fugitivis, can. Fugitivi. 12. q. 2.) alienari, vel permutari prohibentur, cap. 3. & 4. de rerum permutat. Possunt tamen manumitti ab illis Ecclesiasticarum Rectoribus, qui dant Ecclesie rem duplici aedificationis; ut dicitur c. Consensus 3. h. t.

Septimo excipiuntur fructus, & alia bona Ecclesiastica, quae servando servari non possunt. Et haec exceptio habetur clare in saepe citata Extravag. Ambrosie, illis verbis: Praeterquam de fructibus, & bonis, quae servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia. Quae proinde per Praelatum absque aliis solemnitatibus alienari possunt.

Porro bona, quae servando servari non possunt, dicuntur illae res mobiles, quae non durant triennio: vel, quae usu consumuntur, & non fructificant, arg. l. Lex que tuores. §. fin. c. de Administrat. tutor. Navarrus in Commentar. De alienatione rerum Ecclesiasticarum num. 4. Fagnanus c. Nulli. n. 23. h. t.

Tandem excipiuntur nonnullae Religiones, a Sede Apostolica habentes speciale privilegium alienandi bona etiam stabilia pro necessitate, & utilitate Monasteriorum, absque alia licentia Sedis Apostolicae, vel Ordinariorum loci: prout Fratrum, & Monialibus Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, concessit Gregorius XIII. in sua Constitut. 34. Exiit cum benedicti (ac refertur Tom. 2. Bullar. Roman.) dummodo in ejusmodi alienatione interveniat consensus duarum partium ex tribus Fratrum, vel Monialium, atque auctoritas Prioris Generalis. Quamquam huiusmodi privilegia eo eorum abusu postmodum fuerint revocata, vel saltem restricta in tantum, ut nullis Regularibus intra fines Europae existentibus, liceat

liceat dictas alienationes facere absque Sacra Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda: prout refert Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiastic. univ. c. 30. num. 15. adducens tenorem tals revocationis, seu Decreti Sacrae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini.

49 Queritur V. An requirantur praefatae solemnitates juris, si alienatio ab una Ecclesia fiat alteri Ecclesiae? Resp. I. Esti non desunt, qui probabile censent, saltem loquendo in puncto juris, & theoretice, non requiri solemnities alienationis in alienatione ab una Ecclesia in aliam: affirmativa nihilo minus sententia est Juri conformior, atque in praxi merito tenenda. Prior pars patet ex eo: quia memoratae sententiam tenet Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episcopi. allegat. 95. num. 55. & seqq. citans Trivisan. Decis. 56. part. 2. Aloy. Riccius in Praxi, part. 1. res. sol. 35. in fin. Castro Palao part. 2. tract. 12. disp. un. punct. 15. sect. 3. num. 7. Ludov. Engel h. t. numer. 16. Rationem dant: tum quia in c. 1. h. t. permittitur Episcopo, ut si terram unius Ecclesie commutare voluerit cum terra alterius Ecclesie, id (subsistente tamen causa rationabili) facere possit; neque plus requiritur, nisi ut illud cum consensu ambarum partium fiat. Quod ipsum jam antea concessum videbatur in can. Ea enim. §. Item sibi invicem. 10. q. 2. A qui permutatio rerum, est vera alienatio, c. Nulli. §. Alienationis. h. t. cum similibus. Tum quia SS. Canonibus, qui requirunt supra dictas solemnitates juris, principaliter agunt de alienatione rerum Ecclesiasticarum Laicis facta: ne videlicet res Deo semel dicatae, ad profanos usus applicentur, contra c. Semel Deo dicatur. 1. de Reg. Jur. in 6. aut ipsamet Ecclesia per voluntarias, & indiscretas alienationes depauperetur, atque in bonis suis, quibus Laici inhiant, grave praedictum patiatur, cit. Extravag. Ambrosie, h. t. inter Communes. Unde quia haec rationes deficiunt in usu, quo res unius Ecclesie alienatur in aliam (omnes etiam constituunt unam Ecclesiam universalem, can. Legimus. §. Nec altera. dist. 93.) inferunt praefati Auth. res, saltem loquendo in puncto Juris, tunc memoratas solemnitates non requiri: quamvis ultra saeviant, aliud servari de stylo Curiae Romanae, & consuetudine generali.

50 Altera vero pars datae Conclusionis, videlicet opposita, sive affirmativa esse Juri conformiorem, & in praxi merito tenendam; probatur ex cap. 1. h. t. in 6. ubi sermo est de alienatione Decimarum facta ab una Ecclesia ad aliam: & tamen, in ipsa non fuerunt observatae debite solemnitates Juris (puta quia tractatus solemniter & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem, prout loquitur textus) tota concessio, sive alienatio dictarum Decimarum, sententialiter cassata fuit, non obstante, quod fuerit facta ab una Ecclesia ad aliam. Et revera ponderando ly, qui in talibus alienationibus exigitur &c. haec sententia videtur clare decisa. Ad idem adducitur textus in can. Sine exceptione. 12. q. 2. & c. Nulli. §. h. t. ubi generaliter, atque indistincte prohibetur fieri donatio, venditio, permutatio, aliaque alienatio rerum Ecclesiasticarum sine iusta causa, & non servatis solemnitatibus juris: ac proinde etiam censetur prohibita illa, quae fit ab una Ecclesia ad aliam, dictis solemnitatibus non servatis; nam, ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. De pretio ff. de Publician. in rem action. & alibi. Et idcirco hanc sententiam tenet Jo. Andreas in Collectan. ibid. n. 2. allegans communem Romanae Curiae praxin: quidquid cit. allegat. 95. n. 55. in contrarium docuerit. Spezzellus Decis. 154. Fori Ecclesiastic. num. 22. post Gratianum Discept. Forens. cap. 517. n. 9. tom. 3. & Rotam in Treveron. Bonorum. 11. Maii 1621. coram Duzozetto

seniore; & in Perusina Oblationum. 27. Jan. 1640. coram Merlino. Card. de Luca de Alienationib. Discurs. 1. n. 104. Quaranta in Summa Bullarum §. Alienationum. 15. Pyrrhus Corradus in Praxi Dispensation. lib. 9. cap. 10. num. 8. Bonacina di p. 3. de Contractib. q. 8. p. 4. n. 20. alique plures, iuncta praxi Curiae Romanae, de qua attestantur memorati Auctores. Accedit ratio: quia etiam per huiusmodi arbitarias, & quandoque indiscretas alienationes, facile particularibus Ecclesiis grave damnum inferri contingeret, si fieri possent non servatis debitis solemnitatibus juris.

Nec urgent rationes n. 49. in contrarium allatae. Non quidem cap. 1. h. t. Licet enim hic solum modo fiat mentio de contentu ambarum partium, non tamen idcirco excluduntur caeterae solemnitates, quae requiruntur per can. Sine exceptione. 12. q. 2. & cap. 1. h. t. in 6. cum concordantibus; a quoque enim, si quidem inde probaretur, neque requiretetur iusta causa ad faciendam permutationem rerum unius Ecclesie cum alia; quod nemo concedit. Neque urget altera ratio: quia licet Sacri Canonibus plus abhorreant alienationem rerum Ecclesiasticarum in Laicos ob rationes in objectione allatas: nihilo minus hanc etiam prohibent fieri ab una Ecclesia ad aliam, non servatis debitis solemnitatibus; cum indistincte loquantur, simulque per indiscretas alienationes facile Ecclesiis particularibus grande praedictum inferri possit.

§. III.

De nullitate, revocatione, actionibus praenique ex alienatione contra formam Juris attentata confluentibus.

SUMMARIUM.

- 52 Alienatio rerum Ecclesiasticarum attentata non servatis debitis solemnitatibus, est ipso iure nulla.
- 53 Ipsi procedit pro Foro externo: secus pro Foro interno, seu conscientiae.
- 54 Et si Ecclesia factam alienationem male confirmari per adhibitionem debitarum solemnium, videtur audienda.
- 55 Et huius ratio.
- 56 Contractus claudicat quandoque. Ibid.
- 57 Quid agendum, si Ecclesia per alienationem, sive contractum fuit graviter laesa? Et numer. seqq. Quando alienatio erat valida, tunc: subvenitur Ecclesiae per restitutionem in integrum. Ibid.
- 57 Tenetur tamen Ecclesia reddere pretium, quod ab altero receperat.
- 58 Si autem alienatio non fuit valida, tunc subvenendum est Ecclesiae revocando rem male alienatam per viam nullitatis actus.
- 59 Potestque & debet res male alienata revocari non solum per Successorem, sed etiam per Praelatum male alienantem.
- 60 Contra factum proprium quis venire non potest; & quando secus? Allegans propriam turpitudinem non auditur, & quando secus?
- 61 In defectum Praelati male alienantis, eiusque Successoris, potest quilibet Clericus agere ad restitutionem rei Ecclesiasticae alienatae.
- 62 Ecclesiae graviter laesa per illegitimum alienationem, competit duplex actio: una contra Praelatum male alienantem ut damnum resarciat.
- 63 Altera contra possessorem, ut rem male alienatam restituat cum fructibus. Et quid, si is bona fide rem Ecclesiae emisset? Ibid.



- 64 Ecclesia rem suam recuperante per unam alienationem, cessat altera.
- 65 Quæ sint pœnæ malè alienantium bona Ecclesiarum? num. seqq.
- Prima harum est nullitas alienationis, atque obligatio restituendi malè alienata. Ibid.
- 66 Altera pœna est excommunicatio, quam incurrit tam alienator, quam is, in quem alienatio facta est, imò & huic subscribentes.
- Et quando hæc excommunicatio incurratur? Ibid. & num. seqq.
- 67 Ab ea incurrenda excusat ignorantia juris, & facti.
- 68 Aliæ pœnæ in Extravaganti, Ambitiosæ, continentur, referuntur.
- 69 An rigor hujus Extravagantis sit usu receptus? Et num. 32.

52 Queritur I. Qualiter alienatio rerum Ecclesiasticarum sit nulla? Resp. I. Alienatio rei Ecclesiasticæ attentata contra formam Juris, seu non servatis debitis solemnitatibus, est ipso jure nulla, & invalida. Ita Glossa in c. Si quis Presbyterorum. §. Ab initio nullas. h. t. Abbas. Nulli. num. 7. & c. Si quis. n. 4. h. t. Covarruvias lib. 2. Vartar. Resolut. cap. 17. nu. 2. Azorius part. 2. lib. 9. cap. 1. quest. 8. Card. de Luca de alienatione, discurs. 1. n. 99. Pirhing h. t. num. 35. & alii. Idque desumitur ex can. Sine exceptione. 12. q. 2. ubi dicitur: Errata enim Episcoporum venditio, & communitio rei Ecclesiasticæ erit absque conniventia, & subscriptione Clericorum. Concordat c. Si quis Presbyterorum 6. h. t. illis verbis: Confessum exinde documentum (super prædicto Ecclesiæ malè alienato) viribus, quamvis ab initio nullas habuerit, vacuetur: ponderando cum citata Glossa ly: Quamvis ab initio nullas habuerit. Accedit textus in cap. 2. §. Contraclus autem. h. t. in 6. & Clem. 1. & Extravag. Ambitiosæ eod. inter commun. ubi alienatio rerum Ecclesiasticarum extra casus à jure permissos, viribus omnino carere, atque nullius omnino roboris, vel momenti esse censetur. Nec immerito: tum quia forma dat esse rei, arg. c. Tua nuper. 8. De his que sunt à Prælati &c. Barbosa Axiomat. 100. num. 1. adeoque ea non servata semper inducitur nullitas actus. Tum quia, quæ contra Jus sunt debent unquam pro infectis haberi, juxta Reg. 64. Jur. in 6. & can. Imperial. 25. q. 2. & l. Non dubium. C. de Legib.

53 Et hæc procedunt pro Foro externo. Nam loquendo pro Foro interno, seu conscientie, valida est alienatio rei Ecclesiasticæ, quæ cessante omni fraude ac dolo, atque in casu cæteroque à jure permissio (nempe, ex justa causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, aut pietatis) auctoritate Superioris, aliorumque, quorum interest, consensu facta est, quamvis prætermissa fuerit formula juris. Ita Riccius part. 1. Praxis. resol. 7. num. 4. Layman lib. 1. Theol. Mor. tract. 4. seu de Legib. cap. 16. num. 9. Navarrus in Commentar. de Alienat. rerum Eccles. n. 17. vers. Ex quibus. Zechus h. t. nu. 17. Enge eod. n. 19. Azorius, cit. quest. 3. vers. Secundum est, allegans communem aliorum. Id ipsum antea jam docuit Abbas in c. Quia plerique. num. 31. de Immunit. Eccles. & c. Requisivit. num. 19. De in integrum restitut. ubi ex professo hanc sententiam tenet; additque generatim, quod omnis contractus in Foro conscientie validus sit, licetque retineatur res per ipsum acquisita, quando in eo fuit servatum, quod Jus naturale præscribit: videlicet absentia deceptionis, & verus contrahentium consensus etiam si non fuerit servata forma tradita à jure positivo. Atque in confirmationem hujus adducit Abbas, ubi supra, in confirmationem hujus adducit Abbas, ubi supra, Innocentium in c. Quod sicut. circa med. de Election. dicentem,

quod si electio tenet de jure naturali, scilicet ratione consensus eligentium, licet sit nulla propter solemnitates Juris positive non servatas, non tenetur electus in Foro conscientie renunciare. Quia (inquit) illa forma, seu solemnitas juris est introducta propter scandala, & deceptiones evitandas: unde quando ista omnia celsurunt, & intervenit verus consensus, habet in fundamentum naturale, sicque est tutus quoad Deum. Intelligit, donec per sententiam Judicis, atque in Foro externo penitus rescindatur. Concordat dicta superius Lib. 1. Tit. 6. De electione. §. 11. n. 275.

Resp. II. Et si alienatio absque debitis solemnitatibus facta, invalida sit ipso jure, ut dictum: nihilo minus istud est intelligendum in favorem Ecclesiæ, si nimirum ipsa fuerit læsa; sicque alienationem, atque contractum in integrum restituendum. Sectis dicendum de emptore rei Ecclesiasticæ absque solemnitatibus: hic enim nullo modo potest allegare nullitatem ad retractionem actus, puta, contractus emptio in favorem Ecclesiæ nisi sine debitis solemnitatibus; ac proinde, licet emptor ultro velit restituere rem sic alienatam, Ecclesia non cogitur eam acceptare; sed si factam alienationem, pura, contractum emptio in Ecclesiæ utilem, malit confirmari per adhibitionem debitum solemnitatum, atque ratiabationem Superioris, videtur Ecclesia audienda. Ita Abbas in c. Diversis fallacis. n. 6. de Cleric. conjugat. Engel h. t. n. 20.

Conclusio hæc probatur imprimis exemplo Pupilli, atque Minoris Curatorem habentis, qui valide absque Tutoris, vel Curatoris auctoritate contrahunt in suum commodum, non tamen in suum præjudicium §. 1. Instiut. de Auctor. tutor. ac proinde inveniunt compelli nequeunt ad standum contractui; bene tamen, si huic stare velint, possunt alterum secum contrahentem actione civili cogere ad standum illi contractui: unde, ut Glossa cit. §. 1. Non obligantur, animadvertit, contractus claudicat quandoque. Idem ergo dicendum de Ecclesia, utpote quæ fungitur jure Minoris, & Auditus. 3. De in integrum restitut. cum similibus. Accedit textus notabilis in can. Si qua de rebus. 12. q. 2. ubi facta alienatione rei Ecclesiasticæ, Sede Episcopali vacante (& sic non servatis solemnitatibus Juris) dicitur, in iudicio esse Episcopi (noviter ordinati) confirmatum, si pretium debeatur recipi, nec ne.

Queritur II. Quid agendum, si Ecclesia per alienationem, seu quemcumque contractum, fuit graviter læsa? Resp. I. sub distinctione. Vel enim alienatio illa valida fuit, utpote facta cum debitis solemnitatibus juris, atque ex causa, quæ videbatur justa (idemque dicendum de quocumque alio contractu per Ecclesiam inito) & tunc, si ex post facto appareat, Ecclesiam exinde fuisse graviter læsam, subveniendum eidem est beneficio restitutionis in integrum. Textus est in c. Ad nostram. 11. h. t. juncto cap. 1. & seqq. De in integrum restitut. citæ ex professo declaratum supra Lib. 1. Tit. 41. De in integrum restitutione. §. 2. n. 32. & seqq.

Tenetur tamen Ecclesia in integrum restituta alteri, v. g. emptori, rerum suarum reddere pretium, quod ab eo accepit, aliasque expensas in ipsius Ecclesiæ utilitatem factas refundere: prout ex cit. c. Ad nostram. h. t. desumitur. Et merito: non videlicet Ecclesia contra naturalem æquitatem cum aliena iactura locupletior fiat, c. Locupletior. q. 8. de Reg. Jur. in 6.

Vel alienatio ejusmodi non fuit valida, puta, quia facta est non servatis solemnitatibus Juris: & tunc subveniendum est Ecclesiæ graviter læsæ revocando rem malè alienatam per vim nullitatis actus, sive contractus; petendo videlicet, ut iudex pro-

pronunciet actum, seu contractum esse invalidum. Siquidem restitutio in integrum non habet locum, nisi contractus ille, ex quo gravi læsio sequitur, de jure sit validus, l. In causa cognitione. §. 1. & 2. ff. De Minor. Accedit ratio: quia restitutio in integrum est remedium extraordinarium, & introductum in subsidium; ac proinde non concurret cum ordinario, puta, cum revocatione actus, sive contractus per vim nullitatis; estque jam dictum supra cit. Lib. 1. Tit. 41. n. 14.

59 Resp. II. Quando res Ecclesiæ fuit malè, seu invalidè alienata, tunc ea non solum per Successorem in beneficio potest, & debet revocari ad jus eisdem Ecclesiæ, cap. 2. de Precariis: sed etiam per Prælatum invalidè alienatam. Textus est in c. Si quis Presbyterorum. 6. h. t. ubi Glossa §. Alienator, addit, quod is, qui alienat in præjudicium Ecclesiæ, etiam si jusset non repetere, revocare debet alienationem non obstante juramento, cum sit illicitum, c. Intellecto. 33. de Jurisjurand.

60 Nec obstat textus in l. Cum à matre. C. de Rei vendicat. ac Summario ibid. dicente, quod contra factum proprium quis venire non potest: juncto c. Inter dilectos 8. de Donation. ubi allegans propriam turpitudinem, non auditur. Resp. eam, istud procedere regulariter loquendo: fallere tamen, si factum est ipso jure nullum. Engel h. t. numer. 17. Adde cum Zechus h. t. nu. 4. quod regula ista locum habeat, si quis nomine proprio, & pro suo commodo velit factum proprio convenire: secus, si nomine tertii (puta, nomine Ecclesiæ cuius res malè, jureque impediende alienavit) suo facto contraveniat, Verall. Decis. 170. n. 8. Post. de Manu. Obj. 57. n. 102. & apud illum Rota decis. 327. Alias limitationes ponit Glossa in c. Inter dilectos. §. Turpitudinem. de Donation. quarum præcipua est, quod fallant allegatæ Regule, ubi vertitur periculum animæ, arg. c. Lactor 7. & Glossa ibid. §. Inimutatione. de Sentent. & re judicat. Ita, quando exceptio, quam veniens contra factum proprium, seu propriam turpitudinem allegans, proponit, est talis, quod ex toto elidat jus Actoris: tunc enim filium regulæ dicitur, debet audiri. Abbas cit. c. Inter dilectos. n. 7. de Donationib. Pirhing h. t. n. 65.

61 Resp. III. Insuper in defectum prælati malè alienantis, ejusque Successoris, potest quilibet Clericus agere ad restitutionem rei Ecclesiasticæ illegitimè alienatæ, hancque revocare. Textus est in c. Si quis Presbyterorum. §. fin. h. t. ubi Pontifex in casu talis illegitimæ alienationis decernit, quod liceat quibusvisque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, & ut cum fructibus possint alienata revocare. & Ecclesiasticæ auctoritate fulciri. Quin imò in cap. 2. h. t. in 6. puniuntur Clerici, qui scientes contra inhibitionem prædictam (de rebus Ecclesiæ absque solemnitatibus ibidem præscriptis non alienandis) aliquid esse præsumptum, id Superiori denunciare neglexerint.

62 Queritur III. Quotuplex actio competat Ecclesiæ per illegitimam rerum suarum alienationem graviter læsæ? Resp. Duplex. Nam, ut notat Glossa c. Si quis Presbyterorum. §. Alienata h. t. & Pirhing h. t. nu. 69. allegans alios, Ecclesia in casu illegitimæ alienationis habet imprimis actionem personalem contra Prælatum malè alienatam, ut dampnum Ecclesiæ illatum resarciat, si est solvendo: ut canon. Monemus. 12. q. 2. & l. 3. C. Si tutor, vel curator intervenierit. Atque hæc actio transit ad hæredem: unde hæres Clerici malè alienantis, & defuncti, tenetur Ecclesiam reddere indemnem. Abbas c. Ex præsentium. n. 7. de Pignor. Siquidem hæres censetur eadem esse persona cum defuncto, juxta Auth.

de Jurjurando. §. 1. Collat. 5. Simulque hæres succedit in omne jus defuncti, l. Cum hæres ff. de Diversis. & temporalib. præscription.

Deinde Ecclesia in casu illegitimæ alienationis 63 habet actionem in rem contra possessorem, ut restituat Ecclesiæ rem malè alienatam, can. Apostolicos. 12. q. 2. atque in simili dicitur l. 3. & ult. C. Si tutor, vel curator, interven. Et in tali causa possessor, sive is, qui rem Ecclesiæ malè alienatam recepit, compelli potest ad rem ejusmodi cum omnibus fructibus inde perceptis restituendam; per textum in cit. c. Si quis Presbyterorum. 6. §. fin. h. t. ibi: Ut cum fructibus possint alienata revocare. Siquidem rem Ecclesiæ indebitè alienatam scienter recipiens, non facit fructus suos: sed tenetur eos restituere, etiam cum accessionibus, seu melioramentis, l. Jubemus. lo. 2. §. Sanè, C. de Sacrosanct. Eccles. Abbas d. c. Si quis Presbyterorum. num. 1. & 6. h. t. Pirhing eod. num. 70. Si tamen quis bonæ fide emitte rem Ecclesiæ, tunc is contra Prælatum malè alienatam habet actionem de suo interese, pretio vero recuperando: nisi forsitan ex fructibus interim perceptis ipsi fuisset satisfactum, c. Ad nostram. 11. junctâ Glossa §. Sufficere. h. t.

His tamen adde, quod si Ecclesia obtinendo contra unum, v. g. contra possessorem rem suam recuperet, tunc cessat actio contra alterum, puta contra Prælatum malè alienatam: quia bona fides non patitur, ut his idem exigatur, l. Bona fides ff. de Reg. Jur. Si verò Ecclesia convulsa sit unum, sed frustra, per hoc non fiet ipsi præjudicium, quod minus possessa possit convenire alterum, seu actionem contra ipsum instituire: sola enim solutio imponit ipsi silentium, l. 1. §. Si apud duos. ff. Depositi. Gl. ita cit. c. Si quis Presbyterorum. §. Alienata h. t. & alia Glossa can. monemus. 12. q. 2. §. Reddere.

Queritur IV. Quæ sint pœnæ malè alienantium bona immobilia, vel præfiosa Ecclesiarum? 65 Resp. I. Prohibitio alienandi hujusmodi bona Ecclesiarum est antiquissima, etiam à tempore Apostolorum, arg. can. Apostolicos. 12. q. 2. estque jam dictum supra n. 5. Unde non mirum, quod successivè plures pœnæ in transgressores statutæ fuerint: eò quod per Arbitrarias & indifferetas tales alienationes plurimum lædantur, ac depauperentur Ecclesiæ, & successivè temporari fieri impotentes ad fabricæ, & ministrorum congruam sustentationem, debitamque hospitalitatem observandam. Et prima quidem contravenientium pœna est, quod alienatio rerum Ecclesiasticarum contra formam Sacrorum Canonum, & sine causa legitima attentata, ipso jure sit nulla & invalida, si que rescindenda: simulque malè alienans, vel alienata recipiens, teneatur Ecclesiam servare indemnem, seu res malè receptas cum fructibus, atque accessionibus suis restituere, ut jam proxime dictum.

Resp. II. Insuper, si alienatio rei Ecclesiasticæ 66 contra Sacros Canones fiat, tam alienator, quam is, in quem alienatio facta est, imò & alienationi subscribentes, excommunicationem incurunt: nisi celerè restitutione (hoc est, antequam lædatur Ecclesia ex tali alienatione) sibi prospexerint. Textus est in cit. c. Si quis Presbyterorum, junctâ Glossa §. Clerici. h. t. Id ipsum jam antiquitus statutum fuerat in octava Synodo Universalis, relatâ can. Apostolicos. 12. quest. 2. & in can. non liceat. & can. de Rebus. ead. caus. 12. quest. 2. cum similibus: estque hæc pœna excommunicationis innovata, ipsoque jure inflicta in Extravag. Ambitiosæ. h. t. inter Commun.

Excusatur tamen ab incurrenda hac censura à 67 liennans, vel malè alienatum recipiens ex ignorantia juris,



juris, vel facti: dum tamen eorum ignorantia non fuerit *crassa*, aut *supina*, juxta textum notabilem in *cap. 2. de Constitut. in 6.* Barbosa in *Extravag. Ambitiose n. 23. h. t. inter comm.* Excusatur insuper ille, qui bona Ecclesie alienavit sine debitis solemnitatibus, si potentiam ductus, vel alia ratione permotus, alienationem revocavit ante realem, & pacificam traditionem rei Ecclesiasticæ, *cit. c. Si quis Presbyterorum 6. h. t. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 16. num. 7.* Barbosa, ubi *suprà*, num. 24. citans alios. Non enim res dicitur alienata, donec traditio facta fuerit, *l. alienatum. ff. de Verb. signif.* Simulque in Jure, ac præsertim in materia odiola, verba cum effectu accipienda sunt, *c. Relatum. q. de Cleric. non residem.* junctis concordantiis à Glossa *ibid.* *¶. Cum effectu*, allegatis.

- 68 Resp. III. Insuper alienanti bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum quorumlibet in consilio Romano Pontifici aut contra præsentis Constitutionis (nempe Extravag. Ambitiosæ) tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeant dignitate, ingressus Ecclesie sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediatè sequentes, sub interdicto hujusmodi, animo (quod absit) perseveraverit in durato, lapsis mensibus eisdem à regimine, & administratione Jure Ecclesie, vel Monasterii, cui præfuit, in spiritualibus, & temporalibus, sit eisdem suspensus. Inferiores verò Prælati, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, Officiis, canonicatibus, præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, secularibus, & regularibus beneficiis quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipso facto privati existant illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur: postquam per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propter eam private fuerint) liberè de jure conferri, nisi aliàs dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reservata: nihilo minus alienate res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & Loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, liberè revertantur. Ita his verbis decrevit Paulus Papa II. in *cit. Extravag. Ambitiosæ. h. t. inter Communes.*
- 69 Porro ad rigor hujus Paulinæ Extravagantis ubique fuerit usi receptus, non est hujus loci investigare; sed penderè à particularibus locorum consuetudinibus, & uti hætenus continuato. Et quidem eam esse usi receptam, & ita præsumi, eò quòd inserta sit corpori Juris, sicque Jus commune facere censetur; tenent complures Doctores, ac Rota in una *Brisiens. Locationis. 5. Decemb. 1594. coram Penia*, prout videre est apud Barbolam *part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 95. num. 49.* Alii verò asserunt, eam esse quidem usi receptam quoad utilitatem contractus, non verò quoad poenas excommunicationis, aliasque extrinsecas: prout refert idem Barbosa *cit. num. 49. & in Collectan. ad Extravag. Ambitiosæ. num. 3. h. t. inter Communes.* Adde dicta superius num. 32.

TITULUS XIV.

De Precariis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis Rubricarum.
- 2 Precarium, quot modis sumatur? Et num. seq. Sumitur quandoque pro re precario data, quando-

- que pro contractu: sicut & Commodatum, Depositum, Mutuum, & Pignus.
- 3 Nomen hujus contractus tripliciter in Jure reperitur expressum: & quomodo? Precaria, & Precarie in feminino sumptæ, non differunt. *Ibid.*
- 4 Precarium, quid?
- 5 Et quomodo differat à Donatione?
- 6 Et commodato? Et num. seqq.
- 7 Precarium potest etiam ad determinatum tempus constitui, & qualiter?
- 8 Precario rem accipiens, naturaliter eam possidet: secus est in Commodato.
- 9 Ille tenetur solam ex dolo, & culpa lata: secus dicendum in Commodato, & cur?
- 10 Precarie, sive Precaria in singulari, quid?
- 11 & 12. Contractus Precariae seu Precariarum, & contractus Precarii, differunt in pluribus. Et num. seqq.
- 13 Precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis: dummodò non fiat revocatio intemptiva.
- 14 Secus dicendum de Precaria: nisi fuerit irrationaliter concessa. Et num. 16.
- 15 Ad concessionem Precariarum requiruntur solemnitates juris.
- 16 Quando conceduntur ultra triennium: aliàs secus.
- 17 Precarium expirat per revocationem concedentis.
- 18 Ac moriente illo, cui concessum est: non autem morte concedentis.
- 19 Finitur etiam, si precario concedens rem alienaverit &c.
- 20 Precarium pignoris expirat solutà debiti pecunià.
- 21 Precaria in feminino accepta expirat, si elapso quinquennio non petatur renovatio ejus: & cur?
- 22 Qualis datur actio ex Precariis? Et num. seqq. Spectato Jure Canonico non est opus, exprimere nomen Actionis in Libello. *Ibid.*
- 23 Ex Precario in neutro, datur Actio Precarii seu Interdictum de Precario.
- 24 Interdictum hoc restitutum est.
- 25 Ex Precaria, seu Precariis in feminino, potest dici oriri Actionem Precariarum.

Quoniam Titulo præcedenti dictum est de alienatione rerum Ecclesiasticarum in genere; pergit Compilerator Juris Canonici ad agendum de Contractibus in specie, utpote quibus alienari contingit res Ecclesiasticas. De quibus proinde in præsentiarum agendum restat, ommissis tamen illis, quæ partim de Pactis, & Contractibus in genere, atque Transactionibus, ex professo dicta fuerunt superius *Lib. I. Decretalium, Tit. 35. & 36.* per totum: partim verò spectant ad Theologiam. Hinc, quantum ad Rubricam hujus Tituli,

- Queritur I. Quot modis sumatur Precarium? 2 Resp. I. Precarium (sicut & commodatum, depositum, Mutuum, & Pignus) subinde accipitur pro re precario data, commodatâ, depositâ. Quandoque verò pro ipso contractu Precarii, commodati, Depositum, Mutui, seu Pignoris. Et hoc posteriori modo sumitur hic Precarium, nempe pro ipso contractu Precarii: nam Precarium inter contractus numerari, patet ex *l. Contractus. ff. de Reg. Jur.*
- Resp. II. Nomen hujus contractus tripliciter in Jure reperitur expressum, videlicet in neutro, Precarium: uti fit *cap. 3. h. t. & cit. l. Contractus. ff. de Reg. Jur.* Et in feminino numeri singularis: ut *can. Precaria à nemine. 10. q. 2. ibi: Facere precariam.* Et rursum in feminino numeri plu-

§. III. De nullitate, revocatione, actionibus &c.

pluralis: ut *d. can. Precaria à nemine. & can. Precariae de quinquennio. 10. q. 2. & cap. 1. ac ult. h. t.* Et quamvis Precaria, & Precarie in feminino sumptæ, non videantur differre; ut cum communi notat Abbas *cap. 1. n. 3. h. t. contra Hostiensem*: nihilo minus contractum Precarii differre à contractu Precarie, sive Precariarum, passim fatentur Doctores, & amplius patebit ex dicendis.

Queritur II. Quid sit Precarium, & quomodo differat à Donatione, & Commodato? Resp. I. Precarium rectè definitur ab Ulpiano *L. 1. ff. de Precario*, dicendo: *Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. Quod genus liberalitatis ex Jure gentium descendit.* Hæc ibi. Concordat *cap. 3. h. t. ibi: Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur* (id est non revocatur) *qui concessit: solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis.* Et in hoc sensu sumitur etiam *ly. Precario*, adverbialiter dictum: nam, quod precario datur, aut accipitur, semper potest revocari, seu repeti.

Resp. II. Precarium est species quædam liberalitatis, adeoque contractus gratuitus. Differt tamen à Donatione ex eo, quia qui donat, sic dat, ne amplius recipiat: qui autem precario concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere, seu revocare. Textus est in *cit. L. 1. ff. de Precario.*

Resp. III. Et si Precarium simile sit commodato, quantum ad hoc, quia etiam is, qui commodat alteri rem suam, sic commodat, ut eam non faciat recipientis, sed post certum tempus, aut completum usum ab eo recipiat, *cit. L. 1. ff. de Precario*: differt nihilo minus à Commodato in pluribus aliis. Ita communis; & patet tum ex diversitate Titulorum, in quibus tractatur de eisdem; tum inductione. Nam imprimis Commodatum conceditur ad determinatum usum, certumque tempus expressè, vel saltem tacite appositum: ut si commodetur cuiquam equus ad arandum, expleto illo labore debet equus domino suo reddi. Precarium verò non datur ad certum & determinatum usum, neque etiam ad certum tempus: sed quamdiu concedens permiserit, sive Precarium non revocaverit, *cap. ult. h. t. junctâ Glossâ y. per conventionem, & Abbate ibid. n. 11. & 12. aliisque passim.*

Nec obstat, quòd etiam Precarium ad certum tempus constitui possit, *l. In rebus, & l. Cum precario. ff. h. t.* Resp. enim, adhuc notabilem esse differentiam. Tum quia nihilo minus ille, qui precario ad tempus rogavit, sigito tempore illo rem precario possidere videtur, nisi revocetur: intelligitur enim dominus, cum patitur eum sic possidere, rursum precario concedere, *cit. l. In rebus. §. fin. ff. eod.* Tum etiam, quia non obstante concessione Precarii ad certum tempus; adhuc illud ante hoc tempus (seclusa tamen malitiâ seu dolo) revocari potest: nam pactum contra substantiam contractus non valet, *cit. l. Cum Precario, ubi Bartolus in Summario. eod.* Secus est in Commodato, quod nec ante determinatum tempus à Commodante revocari potest, nec ultra illud à Commodatario protrahi.

Secundò differunt: quia qui rem commodatam recipit, nec civiliter, nec naturaliter possidet: nam rei commodatæ possessionem retinet ipsemet commodans, *l. Rei commodatæ. ff. Commodati. & §. Possidere. Infit. de Interdictis.* At verò is, qui precario rem accipit, naturaliter eam possidet, *arg. l. Et haber. junctâ Glossâ y. A possessione. ff. de Precario. Pirhing h. t. n. 3.*

Tertiò differunt; quia qui precario rem accipit, tenetur solummodo ex dolo, & culpa lata, quæ dolo æquiparatur, si rem interire contigerit: non *Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.*

verò ex culpa levi, vel levissima, *l. Quæstum est, §. Eum quoque. ff. eod. & l. Contractus. ff. de Reg. Jur.* Secus dicendum de Commodato, quod fit grati recipientis tantum: nam ibi venit etiam præstanda culpa levis, ac levissima, ut dicitur *Tit. seq. n. 15. & 16.* ac notat Abbas *cap. 1. Precarium. nu. 14. h. t.* Ratio disparitatis assignatur in *cit. §. Eum quoque. & Abbate loc. cit.* Quia Precarium pendet ex mera liberalitate concedentis, qui potest illud revocare; quandocunque voluerit: lectus dicendum de Commodato, utpote quod non potest revocari ante completum usum, sive tempus determinatum.

Queritur III. Quid sint Precarie, & quomodo differant à Precario? Resp. I. Precarie, sive Precaria in singulari numero, est contractus Jure Canonico introductus, quo alicui ad preces, ac plerumque causâ remunerationis usufructus alicujus prædii vel alterius rei Ecclesiasticæ immobilis, ad dies vitæ, vel aliud certum tempus conceditur: eâ tamen lege, ut singulis quinquenniis renovatio hujus contractus petatur. Ita desumitur ex *cap. 1. & seqq. h. t. eisdem in re communis.* Unde Glossa in *can. Precarie à nemine. 10. q. 2. y. Precaria*, inquit; quòd Precaria sit quidam contractus affinis emphyteusis; sed in hoc differat, quòd de quinquennio in quinquennium renovetur: ut *cit. can. Precariae de quinquennio. 10. q. 2. & cap. 1. h. t. ibi: Precariae de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renoventur.* Idem contractus est similis locationi, nisi quòd Emphyteusis, atque Locatio, fiant sub onere præstandi certam pensionem annuam; Precarie verò concedantur gratis, vel causâ remunerationis.

Resp. II. Contractus Precarie, seu Precariarum, & contractus Precarii, differunt in pluribus. Primò enim Precarium potest fieri tamen circa res mobiles, quàm immobiles. Precaria verò solum circa res immobiles, *arg. can. 2. §. Si æconomus. & can. Precaria à nemine. 10. q. 2.* ac notat Pirhing *h. t. num. 10.*

Deinde Precarium regulariter ad certum tempus non conceditur, sed tamdiu solum, quamdiu plauerit concedenti. Precarie verò vel ad dies vitæ, vel ad aliud certum tempus concedi possunt, quamvis de quinquennio in quinquennium renovari debeant, ne fluxu temporis contingat perire memoriam beneficii, *cap. 1. & 3. h. t.* Additur tamen *Precarium regulariter*, propter dicta *n. 7.*

Tertiò, Precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis, *L. 1. ff. de Precario. & cap. 3. §. 1. h. t.* Dummodò non litam revocetur sine cogente necessitate, ne frustra & illusoriè concessum videatur; atque beneficium alicui præstitum, ipsi damnosum existat: alioquin enim, si fieret intemptiva, & præcipitata precarii revocatio, ex qua sequeretur maximum damnum alterius, obfaret exceptio doli; ut bene notat Doctores cum Abbate in *cap. ult. nu. 13. h. t.* Siquidem Precarium debet continere liberalitatem, ac beneficium; non autem nocumentum, & injuriam: *Adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet*, ut inquit *Juris-Consultus l. In commodato §. Sicut ff. Commodati.*

Econtra verò Precarie non possunt revocari, antequam tempus concessionis sit elapsum, *cap. ult. §. fin. h. t. ibi: Porro precarie non sunt pro voluntate concedentium revocandæ.* Intellige, dummodò Precaria de rebus Ecclesiæ non sit irrationaliter; seu in grave damnum Ecclesiæ facta: alioquin enim revocari possent, ac deberent, nedum à Successore concedentis, *cap. 2. h. t.* sed etiam ab ipsomet concedente. Engel *h. t. n. 5.* & alii. Quod ut melius intelligatur,

Queritur IV. Utrum ad concessionem Precariarum 15 requi-